

dicato Eudonem Comitem sibi Regem præfecerunt. Germani vero Proceres communi assensu Arnulfum Carinthiæ Ducem Carolomanni ex Magni Caroli progenie Principis illegitimum ac nothum filium, Germanorum Regem proclamaverunt, a quo deinceps Carolus Crastus, prohænegorum indignissimas vires! victum precarium habuit. Anno demum 896. Arnulfus injurias, quibus Formosus Pontifex a Romanis vexabatur, ulturus, copioso succinctus exercitu, Romam accessit, uxoremque Vidonis Imperatoris, quæ Romanam civitatem præsidio continebat, inde coegit excedere, ut scribit Regino: multosque Romanorum Principes decollari præcepit: ex quibus facile conjicitur, graves illas, quibus Formosus a Romanis afflictabatur vexationes, non aliunde quam ex ingrati & ab eodem Pontifice coronati Vidonis factione processisse, Romam, aliasque ditiosas eidem per vim subtrahentis, quibus olim Francorum Reges Romanam Ecclesiam locupletarant. Itaque viventibus etiam nunc Vidone, ejusque filio Lamberto, quos Formosus Imperatores inauguraverat, idem Pontifex Arnulfum in Petri Apostoli ad eam coronam Imperiali decoravit eodem Christi anno 896. quo desinente, ipse Formosus et vita discessit.

7. Nec vero silendus est ridiculus eventus, cujus occasione in Arnulfi potestate Roma venerat. Dum Germani obsessam urbem impugnant, lepuleculum militum clamore territus urbem versus fugere cepit, quem militum manus per ludum insequuta est, altera vero manus fugienti bestia in occursum veniens ejus cursum intercludere conabatur; prestrepbat undique militum obfidendum clamor, quo etiam Romani de muro spectantes perterriti sunt, cumque lepuleculum non viderent, existimantur ab hostibus impressionem muris imminere, cujus formidine murum incusoditum suo abscessu reliquerunt. Hac re conspecta, Germani locum sibi datum aggredienda urbis rati, subito sarcinas muro admoverunt, eisque ad justam altitudinem coerceratis, extemplo alii muros conscenderunt, alii portam arietate perfrerunt, & urbe potiti sunt: qua occupata Arnulfus Sergianus Formoso Pontifici insensos interemit. Sergius vero fuga sibi consuluit. Sicque factum est, ut Martis illa civitas per metuculosum lepuleculum expugnata sit, quæ quondam per anseres Capitolii servata fuerat: adeo nonnumquam ex levissimis eventibus maxima rerum momenta dependent. Arnulfus inde digressus, conspirantibus per emulationem Imperii adversus eum quantumvis alioqui inter sese mutuo insensis Lambertii & Berengarii factionibus, ex Italia trans Alpes evasit.

8. Inter hæc, Italia suorum factionibus foetissime lacerabatur. Mortuis Vidone ejusque filio Lamberto Spoleti Ducibus, in eorum adversarium Berengarium Forojulii Ducem devolutus est Italia Principatus, qui tamen non fuit ipsi diuturnus, res novas adversus eum moliente Adelberto Tuscæ (ut eum vocat Luitprandus) Marchione, qui ex Transalpina Provincia Ludovicum spe Italia potiunda excitavit. Erat hic Ludovicus Bosonius Arelatensis Regis & Hermingardis filius, qui fuso fugatoque Berengario, a Stephano Papa septimo Romæ donatus est Imperii corona, Salvatoris anno 901. Ceterum vix Imperii sui exacto triennio, proditus ab eodem, qui vocat Adelberto, in manus cecidit Berengarii, qui eum oculis & Imperio privavit. Nec tamen hoc sublato rivali quiete frui licuit Berengario; Adelbertus enim Eporediæ Marchio, quæ nunc Inurea dicitur in partibus Longobardiæ, cum aliis Italia Principibus Berengarium pertasis, Rodulfum Burgundiæ Regem ad Italia regnum capessendum accessit. Quibus ille acquiescens novum regnum felicibus auspiciis exorsus est, acie fuis Berengarii copiis, qui haud multo post Veronæ per insidias est interceptus: filiam habuit Ghiselem, cum qua inito matrimonio Adelbertus prædictus Eporediæ Berengarium secundum progeniit, qui regno postmodum Italia potitus est.

9. Mortuo Berengario, Rodulfus, quasi fato Italia Regibus illigato, eadem facilitate ac inconstantia, qua fuerat expetit, mox repulsus est, inclinantis ad Hugonem Provincia Comitem Itatorum animis: qui adventans in Italiam Rodulfum in fugam compulsit anno 926. annique viginti sceptrum tenuit. Maroia illustrissima meretricum Romam tunc temporis tyrannide premebat, duobus potentissimis freta filiis, Joanne, quem ex Sergio Papa tertio enixa fuerat, qui matris opera factus Romanus deinde Pontifex fuit, ejus nominis undecimus; & Alberico, quem eadem Adelberto Tuscæ Marchioni pepererat. Cum Maroia Hugo nuptias fecit, ex eaque dotalem Romæ vicinarumque arcium Principatum recepit; sed mox orta Hugonem inter & privignum Albericum similitate, Roma ejectus Hugo Lotharium filium in regni societatem excitavit.

10. Berengarius secundus Adelberti Eporediænsis fi-

lius, Berengarii primi ex matre sua Ghisele nepos, cum res novas adversus Hugonem & Lotharium moliretur, adactus in fugam ad Othonem Germaniæ Regem se recepit anno 939. sed reversus in ejus gratiam Italorum studiis, in Italiam remeavit. Annoque 945. ita cum Hugone convenit, ut hic cum Lothario filio, Regis nuncupatione contentus, regimen omne Berengario permitteret. Hinc Hugo in Provinciam est regressus, relicto in Italia Lothario filio, cui pridem nuperat Adelais Rudolphi Burgundiæ Regis filia. Moritur demum Lotharius, quo morte sublato Berengarius Regis Italia titulum sumpsit anno 950. una cum Adelberto filio, cui cum Adelaidem Lotharii viduam dare uxorem vellet; illa Othonem Germaniæ Regem in Italiam evocavit, eique ann. 951. nupsit. Berengarius viribus longe impar Italia regnum precario ab Othone obtinuit, regnavitque annos circiter duodecim, donec Itali ejus tyrannide oppressi ad Othonem denuo confugerent, qui accitus secundam in Italiam ingressus protectionem, & ab Joanne duodecimo Pontifice Alberici filio coronam sumpsit Imperii anno 962. Berengariumque qui Bavariam abduxit: qui anno Domini 966. diem clausit extremum. Duravit ihud Italicum regnum atrocissimis civilibus bellis fœdum, & immanibus crudelitatibus & perfidiis insigni, annos ad Othonis usque Imperium duos & septuaginta.

11. In Oriente vero, primis hujus sæculi annis, gravis est orta concertatio ob quartum Leonis Imperatoris, cui Philosopho nomen, matrimonium; qui ante aliquot annos edictum promulgaverat canonicis penis subjiciens, quicumque ad tertias nuptias convolarent, maxime cum Neocæsarensis catones 3. & 7. bigamos ad poenitentiam adigant, & Sacerdotes horum conviviis nuptialibus interesse prohibeant. His stipulantur Basilii epist. ad Amphilochoium can. 40. ipse tamen Leo, cum ex tribus pristinis conjugii liberos nullos sustulisset, quartum cum Zoe contraxit. Quia vero Nicolaus Patriarcha cognomato Myrticus has nuptias benedicere recusavit, & qui benedixerat, Sacerdotum Ordine deposuit, & perdit rogatur ab Imperatore, ipsum tamen aditu Ecclesiæ prohibuit: ideo a Leone in monasterium relegatus est, cujus loco suffragii Cleri subleatus est Euthymius, qui fuerat depositi Nicolai Syncellus. Hanc fuis profequitur historiæ Curopalates. Ex Zoe vero filium Leo suscepit Constantinum Porphyrogenitum, quem habuit Imperii successorem.

12. Anno 905. virtute Adelfonsi Galaciæ Regis, cognomento Magni, res Christiana magnopere aucta est, ingenti Arabum fuso exercitu, duceque ipsorum Alcaïnan in acie occiso, ut refert Ambrosius Morales Chron. Hispan. lib. 15. cap. 28. qui idem cap. 30. ejusdem Adelfonsi factum æterna dignum laude scribit. Cum enim primogenitum ejus Garfiam longevi patris regni tadium cepisset, adjuvantibus fratribus conspiraret in patrem, Adelfonsus bello strenuus & justitia suæ causæ subnixus, maluit tamen jure omni cedere, quam pro tuendo jure suo rem Christianam & publicam pacem discrimini per bella civilia objicere; qua occasione res infidelium admodum invaluisse. Licet vero se magnum victoris de infideli gente relatis exhibuisset, major tamen & maximus consensus est, cum seipsum superans sponte filio cessit, & sub filio Rege nobiles alias de Saracenis victorias diversis præliis reportavit.

13. In Germania, ineunte decimo sæculo, moritur ultimus pediculari morbo ex Caroli Magni stirpe Imperator Arnulfus. Hujus vero filius Ludovicus Procerum consensu anno 900. Germaniæ Regnum capessit: idque annos duodecim tenuit, sed Imperii coronam non sumpsit, neque titulum habuit: in ipsoque obeunte, anno 911. Carolorum progenies in Germania extincta est. Conradus ejus loco Dux Franconiæ in Regnum Germaniæ subrogatur. Qui proximus morti cum annis septem regnasset, Primoribus mandavit, ne alium sibi successorem eligerent, quam Henricum Othonis, Ducis Saxonie filium, qui ex Vittichindi Saxonum Regis, quem Carolus Magnus acie superatum ad Christianam fidem perduxerat, stirpe ortum ducebat. Itaque Henricus ab acuppi studio cognomine Auceps ann. 919. regnum inii insignibus de Hunnis Germaniam vastantibus victoriis relatis.

14. Henricum ex hac luce subtraham anno 936. Otho filius ejus excepit, regnavitque annis 37. & re & appellatione Magnus. Slavos seu Bohemos perdomuit, Belgas & Lotharingos præliis attrivit, Ludovicum Francorum Occidentalium Regem victum in fugam adegit, eaque victoria Lotharingiam suæ afferuit potestati. Profectus deinde in Italiam Adelais acitu, quam Berengarius in ultimas redegerat angustias, & hanc sibi conjugem sociavit, & Berengarium a se victum, captum abduxit, insigniaque Imperii ab Joanne duodecimo Pontifice recepit, anno 962. Italos denuo rebellantes cum Adelber-

Adelberto Berengarii filio acie fudit. Ulteriusque progressus in Calabriam & Apuliam bellum movit, Græcos exinde expulit, annoque demum 973. morte obiit. Hujus filius Imperique successor Otho secundus disparem patri fortunam habuit, anno enim 982. adversus Græcos Saracenorum auxilio Apuliam & Calabriam repetentes infelicissime dimicavit, casis ad interfectionem copiis suis, ipseque clam dilapsus vix hostium manus effugit: qua ex clade tantum merorem cepit, ut anno 983. Romæ languore extinctus sit. Hujus uxor Theophania Constantini Græcorum Imperatoris filia, ex opposito tantum lætitiæ concepit ex popularium suorum victoria, ut Latinis ea de causa insolentius insultaret, ut Dithmarus lib. 3. prodit.

15. Sæculi hujus anno 12. Normanni, qui latrocinii & excursionibus omnem Europam infestaverant, ad postremum sub proprio Duce Rollone, abjecto idolorum cultu, susceptoque Baptismo pacem cum Christiana Religione colere cœperunt. Horum ferocia præcedenti anno validissime repressa retusaque fuerat. Cum enim Autricum Carnutum admotis copiis obsidione premerent, Francorumque exercitus ad Normannorum castra Ricardo & Roberto Ducibus opis ferende oppidani causa consisteret, pium insedit Carnutenibus consilium in extremo discrimine sanctissimæ Deiparæ præsidium implorandi; ejusque quod pensæ se asservant Indulgentiam, inter solemnes & publicas preces circumferendi; quæ cum ab eis fierent, tantum pavoris Normanis repente injectum est, ut in fugam se præcipites dederint. Quod cernentes Francorum copie horribilem Normannorum confusus ordinibus palantium edidere stragem. Post hæc Franconiæ Rothomagenium Episcopi sedula opera Rollo cum præcipuis Ducibus suorumque multitudine Christiana sacra suscepit, fœdusque cum Carolo Simplicis idem, concessa Rolloni ejusque successoribus in dominio, sub fidei clientela Regibus Franciæ deinceps præstare, amplissima illa Neustria provincia, quæ posthac Normannia dicta; & quo strictus utraque gens jungeretur, Gislam Carolus filiam suam Rolloni nupti collocavit. Hæc Dudo lib. 2. & Floriacensæ Chronicæ, alique illorum temporum Scriptores memoria prædiderunt.

16. Carolo Regi sua, quæ ei peperit nomen, simplicitas multum obfuit. Cum enim Haganonem mediæ fortis hominem ad summam potentiam evectum, interioribus consiliis adhiberet, ea res emulationem Procerum excitavit, fecitque rebelles: hoc inter præcipui eminebant Robertus Andium Dux equitum regni præfectus, & frater Eudonis illius, qui mediis inter Carolos duos Crastum & Simplicem in Francia regnarat. Alter erat Heribertus immense ambitionis Veromanduum Comes, cujus forem Robertus duxerat. Horum conspiratione Robertus Carolo abdicato Rex eligitur, educis partium copiis in Sveffionibus acriter dimicatur: quo prælio Robertus perimitur, suos tamen relinquens victores anno 925. Haud multo post ab infidem Proceribus, quasi ad vacuum Regni solum, accessit Rodulfus Burgundiæ Dux. Heriberus vero specie conciliandæ pacis, credulum nimis Carolum, nihilque suspicantem mali, Peronam abducit in arcem custodiam, in qua Rex infelix vita decessit, anno 929.

17. Accepta Caroli Regis captivitate uxor ejus Eadgina, Alstani Regis Anglorum filia, cum filio, quem ex Carolo suscepit, ad patrem in Angliam profugerat: ibique hæsit, quandiu Rodulfus Burgundus in Francia regnavit. Hunc Rodulfum Uspergens Abbas erronee confundit cum altero Rodulfo Burgundo, qui tempore præcessit, qui Rex Italia fuit, quem Hugo Italia regno depulit, & cujus filiam Adelaidem filio suo Lothario in matrimonium dedit. Iste porro, qui Franci regnavit Rodulfus, patre Ricardo natus, Roberti ejus gener fuit quem paullo ante vidimus in prælio contra Carolum Regem apud Sveffiones cecidisse: ejus quippe filiam Emmam Hugonis Magni, e quo postea ortum duxit Capetiorum Regia familia, forem sibi matrimonio sociaverat. Hic igitur Hugonis fororis & Heriberti factione in Francia regnum accitus e Burgundia Rodulfus regnum iniiit ann. 923. Normannos in Aquitania grassantes magna strage profligavit; summe regnum ad annum, quo mortuus est, 936. prorogavit. Quo eodem Henricus Auceps in Germania decessit. Eodem pariter anno ab Hugone revocatus est ex Anglia, ut regnum Franciæ capesseret, Caroli Simplicis filius Ludovicus, inde nomen Transmarini sortitus. Hic Lotharingiam, quam desperatis rebus suis Carolus ejus pater Henrico Germaniæ Regi cesserat, armis repetens, ab Othone Henrici filio depellitur anno 939. cum quo Hugo iterum rebellis belli societate inierat, ducta in matrimonium Othonis Germaniæ Regis forore.

18. Heribertus, ne quisquam se invito in Francia

*Cassanui, Notitia Ecclesiastica.*

Regem inauguraretur, rem molitus est indignissimam, quam Flodoardus, qui eodem vixit tempore, Rhemenfis Ecclesiæ Presbyter, prolixius refert in ejusdem Ecclesiæ Rhemenfis Chronico lib. 4. Convenit cum Seulfio Rhemenfi Episcopo, ut suos filius adhuc infans Rhemenfi præficeretur Ecclesiæ, in qua liquor asservatur, quo liniri solent Franciæ Reges. Sed ministri Comitum præ moræ longioris impatientia Seulfum veneno propinato necaverunt: eoque patrato scelere puer Heriberti necdum quinquennis, Rhemenfis eligitur Episcopus: quale monstrum necdum fuerat in Ecclesiæ vifum. Rodulfus Rex ne a se alienum haberet Heribertum, hanc electionem ratam habuit: quodque deterius est, Joannes X. innumeris flagitiis infamis eandem sua approbatione firmavit, & Ebboni Sveffionum Præsuli Rhemenfis Ecclesiæ curam & ministerium delegavit. Heribertus demum turbatum omnium auctor, quibus Regnum horrendo divexatum fuerat, ex hac vita migravit ann. 943.

19. Rex obiit Ludovicus Transmarinus anno 954. dum lupum venatu insequitur, equo liberius admisso dejectus & lapsu obrutus, Durocotorii Rhemorum sepultus est, duobus relictis liberis, Lothario & Carolo. Exacto inde biennio mortuus est Hugo, cui nomen acfivere Magni & summa potestas, quæ plerumque abusus fuerat, & civilis, sed parum Christiana prudentia; & illustres affinitates Regum & summorum Principum, & altissima propaginis nobilitas a Pipino, Hereftallo Austrasiæ & Tungrorum Principe ducta, a quo exorta secunda Franciæ Regum progenies, & gloria avitæ splendor, ejus quippe avus Robertus Franciæ exercitus dux adversus Normannos pro Religione & patriæ salute dimicans in acie gloriose occubuerat anno 867. duobus relictis liberis, Odone, qui post Carolum Crastum Rex electus Francorum multis regnavit annis: & altero Roberto, qui ex Eriberti quam duxerat sorore, Hugonem istum cognomine Magnum genuerat. Iste vero ex Hoctuide Othonis Imperatoris forore tres reliquit sibi superstites filios, Hugonem Capetum, qui postmodum ad regale fastigium evectus, tertius Regum progeniei auctor fuit; Othonem etiam secundogenitum, & tertium natu Henricum, filiamque Emmam, quæ Ricardo Normannorum Duci nupsit. Eidem Hugoni Magno nomen innoque Abbatis inditum, quia provenit Abbatium invadebat.

20. Lotharius in paternum Regnum successit: hic bellum adversus Imperatorem Othonem II. movit, quo Lotharingiam vi subactam Regno Franciæ redintegravit, ipsamque Othonem ex improvifo Aquigrani adortus coniecit in fugam. Quam ignominiam ut aboleret Otho, collecto numerosissimo exercitu Regnum Parisios usque late populatus; sed iterum victus, & a Lothario fugatus est. Ad colloquium cum Othone Lotharius venit, quo Lotharius tametsi victor Lotharingiam victoriarum suarum fructum & premium remisit Othoni: hic vero eidem Provincie Carolum Lotharii fratrem præfecit: qua fœcordia Lotharius Principum & populorum animos a se alienos fecit, sibi que contemptum acivit omnium. Mortuo patre Lothario, filius Ludovicus in Regnum successit est, qui brevi Regno vitæque functus, nulla relicta prole sepultus est Compendii anno 987. Sælus ex stirpe Caroli Magni supererat Carolus Lotharingiæ Dux, cui jure successione utpote secundo Ludovici Transmarini filio & Lotharii fratris sceptrum Francicum debebatur; sed hujus cunctatio ac inertia, odiumque multorum quod incurerat, dum sprete Francia Germanorum partes sceftabatur; & aliunde Capeti strenua diligentia sibi Regnum asciscens id tandem effecerunt, ut abjecto Carolo, Regnum Franciæ Principum populorum suffragiis & comitiis Hugoni Capeto delatum tributumque fuerit. Carolus tamen ferius quam decuerat arma movit, & quamvis Laudunum magni tunc momenti urbem armis invaserit, & obsidentem Hugonem eruptione facta depulerit, castrisque exutum in fugam egerit, atque exinde Durocotorum Rhemorum prodicione Adelgarii Presbyteri occupaverit, eaque in urbe Arnulfum Episcoporum constituerit Lotharii fratris sui ex concubina filium, Alberone Rhemenfium Episcopo capto & Laudunum abducto, ubi paullo post in vinculis mortuus est. Hugo novis contractis copiis Carolum Lauduno cum uxore inclusum prodicione, ut ferunt, Ascilini Episcopi occupata noctu civitate, in suam redegit potestatem, transmissumque Aurelianos Carolum turri inclusit, in qua diem egit extremum. Idemque operam dedit Hugo, ut Arnulfus Rhemenfis in Concilio Episcoporum apud Rhemos coacto, sede illa deturbaretur, eumque Aurelianis in custodia tribus annis detinuit: atque Gerbertum filii sui Roberti præceptorem eidem Ecclesiæ præfecit anno 992. Ceterum Joannes Papa XV. Episcopus omnibus, qui id fecerant, sacris interdixit: summamque Gerberto Arnulfum pristinum ad sedem revocavit.

R

cavit,